



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDXXXIV.

VD18 90392167

Q. 2. An panis tam azymus quam fermentatus est materia valida?

urn:nbn:de:hbz:466:1-41032

ut aqua plurimum prædominaretur. Illicitum tamen est consecrare panem triticeum mixtum quacunque re, grano, vel liquore, etsi in parva quantitate: quia est contra usum Ecclesiæ & reverentiam Sacramenti postulantis materiam omnino puram. 2. Massa cruda, seu pasta; quia non est panis usualis, nec cibis hominum. Si autem farina sit diluta aquâ rosaceâ, dubium est, an sit valida materia, ut habet Missale Romanum.

Porro ex præcepto & usu Ecclesiæ panis consecrandus apud Latinos debet esse figurâ orbiculari & integrâ.

Not. Nulla videtur posse occurrere causa moraliter sufficiens ad conficiendam Eucharistiam, nisi in materia certa, inquit Suarez; quia huic Sacramento summa reverentia debetur; & aliunde non est necessarium necessitate medii in re ad salutem.

Q. 2. An panis tam azimus quam fermentatus est materia valida?

Resp. Aff. Ex Conc. Florent. in decreto unionis, ibi: Desinimus in azimo, sive fermentato pane triticeo Corpus Christi veraciter confici; Sacerdotesque in altero ipsum Domini Corpus conficere debere, unumquemque scilicet juxta suæ Ecclesiæ sive Occidentalis sive Orientalis consuetudinem. Ratio est, quia uterque est panis verus & simpliciter dictus, & sic in Script. vocatur; nam uterque fit ex farina triticea, aquâ naturali
sub

subactâ, ac puro igne coquitur, habetque proprium usum panis.

Latini tamen tenentur sub mortali consecrare azimum, Græci verò fermentatum, singuli juxta Ecclesiæ suæ ritum: nam ita præcepit Florent. cit. & utriusque Ecclesiæ consuetudo antiquissima obtinet vim legis graviter obligantis, utpote de re gravi. Hinc c. ult. de celebrat. Sacerdos quidam Latinus jubetur privari in perpetuum Officio & Beneficio, quod in fermentato consecrasset in defectum azimi. Quare in hoc nulla dispensat necessitas, ne Viatici quidem pro infirmo consecrandi; nam ad tanti Mysterii majorem reverentiam interest modò ac ritu convenienti semper confici. Præceptum quippe divinum circa Viaticum non obligat, nisi quando id fieri potest modo convenienti & cum debitis circumstantiis.

Not. Quamvis multi dicant Sacerdotem Latinum iter agentem per Græciam licitè uti fermentato, & Græcum azimo in Occidente, in his scilicet locis ubi non sunt Ecclesiæ sui ritus; quia ex S. Aug. Epist. ad Januar. licet cuique facere quod in ea Ecclesia, in quam venit, invenerit, modo non adversetur divino mandato. Si tamen inter Latinos sint aliqua Ecclesiæ Græcorum, & inter Græcos aliqua Latinorum, in his tenetur unusquisque suæ Ecclesiæ ritum servare; quia hoc ipso quòd ibi templum habent, perinde est quoad Sacrificium,

cium, ac si essent in sua patria. Nec licet Latino in Ecclesia Græcorum inter Latinos sita celebrare in fermentato; quia hoc est speciale privilegium Græcis in ea Ecclesia concessum.

Q. 3. An & quanta aqua admisceri debet?

Resp. I. Ex præcepto Ecclesiæ aqua elementaris ante consecrationem vino admisceri debet. Constat ex Florent. supra cit. & Trid. sess. 22. c. 7. ibi: *Monet S. Synodus præceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus, ut Aquam vino in Calice offerendo miscerent, tum quod Christum Dominum ita fecisse credatur; tum etiam quia elatere ejus aqua simul cum sanguine exierit, &c.* Quod præceptum sub mortali obligat: quia licet materia sit in se levis, est tamen gravis ratione finis & significationis; nam apponitur aqua ad repræsentandam unionem populi fidelis cum suo capite Christo, ex *Trid. ibid.* atque etiam unionem humanitatis cum Verbo. Hæc tamen admixtio aquæ non est de necessitate Sacramenti, ita Missa Roman. & Trid. solum dicit hanc esse præceptam ab Ecclesia.

Resp. II. Aqua vino miscenda debet esse modicissima. Quia 1. Ita Florent. statuit, & fert usus Ecclesiæ. 2. Ut ait Conc. Tribur. can. 19. sic melius significatur majestas Christi per vinum designata, & populi fragilitas per aquam repræsentata. 3. Hoc est tutius, nam (ut ait S. Thom.)